Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3243
Quelle:
Copyright:

nicatione et conuersatione cum illis, cum quibus viuere et communicare non licet fidelibus Christianis. Rudolphus nihilominus cum Suis Divina peragere et ab iis abstinentes gravibus afficere damnis. Consulta ergo *Coloniensis* Academia judicium tulit sequentibus IV. Propositionibus: I. *quod dicte dyoc. Religiosi ac alij obedientes huiusmodi* (Pontificis) *mandatis non solum rite et canonice sed et tucius egerunt et consulcius a diuinis desistendo.* II. *quod huiusmodi Religiosi et Persone Rebus sic permanentibus nequeunt diuina reassumere nisi licuerit Apostolica auctoritate.* III. *quod ipsi iidem religiosi et alij huiusmodi ad propria redire et bonis suis gaudere libere debent permitti.* IV. *Persone deuote eiusdem dyoc. quecunque. si diuina non velint audire neque audiant, permitti debent in sua libertate.* Ad calcem: *Acta MCCCCXXIX. In domo domini Decani nostre facultatis.*

Sequitur Epistola. *Magister Jo. Luberti Magistro Wilhelmo de Lochem.* Magister hic *Rudolphum* ejusque Adpellationem ad futurum generale Concilium contra Pontificem tuetur, nixus maxime *Constantiensium* Decretis et Scriptis *J. Gersonis.* Initium: *In Cristo iesu frater amantissime. Bullam cum eius impugnacionibus adnexis transmitto vobis ut petistis. Ipsa est enim illa quam* (per) *Mendicantes impetratam Universitas Parysien. certis ad hoc adductis Racionibus impugnauit et fecit reuocari prout scitis.* &c. De Bulla *Alexandri* V. hoc *Cod.* N. 5. adlata sermonem esse puto.

Rescriptum Magistri Wil. Loechem eidem magistro Johanni Luberti. Initium: *Collegi ex torrente scripturarum quinque media seu quinque Conclusiones ex Authoritate Romanis Pontificibus a deo concessa quasi ex pastorali pera extracta siue extractas, quibus Arcem vestrorum Munimentorum obruere, vosque non modo inermem verum eciam letalibus vndique vulneribus confodere et confossum ostendere conabor* &c. Hic itaque longe prolixior limites *Epistolae* egreditur, scholasticoque Tractatu evincere nititur, standum esse *Rudolpho* Pontificis Mandatis.

In eandem sententiam abit IV. *Instrumentum* pariter, ut videtur, *Coloniae* conceptum praemissa, quae dicitur, Facti Specie, in hunc modum: *Vacante Ecclesia Traiecten. dominus R.* (Rudolphus) *fuit ad Ecclesiam postulatus, Cuius postulacionem papa reiciens prouidit domino S.* (Swedero) *de Eadem. A cuius prouisione Ciuitas Traiecten. et tria Opida transysselana. s. Daven. Campen. et Swollen. appellarunt.* &c Additur, *Trajectenses* visis Literis Apostolicis adpellationem destituisse, non vero *Transisalanos*, unde hos Interdicto subpositos. Quod jure factum longa deinceps tractatione contenditur, cui subscriptum: *His motiuis premissis subscripserunt Magistri Theologie et vtriusque Juris sua nomina et cognomina tanquam Juri et Rationi consonis.* Et ta-